



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1549. usque ad annum 1551 - ... Atque Tabulis
Chronologicis Ab Anno Christi 1000 Usque Ad 1595 ...

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118537

§. 116. Archithalassus protectoris frater regis gratia excidens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66584](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66584)

Sæcul. XVI.
A. C. 1549.

§. CXVI.

*Archithalassus Protectoris Frater
Regis gratia excidens.*

*Burnet. l. c.
p. 149.*

*Sander. hist.
schism. Angl.
l. 2.*

Præ reliquis majoris longe momenti decretum condebatur, propter quod Archithalassus Protectoris Frater vitam jaecturam subire cogebatur; quippe emensis circiter sex hebdomadibus post Henrici VIII. obitum idem hic Anglicæ classis Præfectus præfati Regis Viduam sibi desponsaverat, quamvis nuptiæ non nisi elapsis aliquot Mensibus celebrarentur, ut interea eidem sese in muneris sui auctoritate firmiter stabiliendi spatium indulgeretur; cum vero Mense Septembris Anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo octavo hic idem uxore sua orbatus esset, Elisabetham defuncti Regis Filiam ducere constituit, eoquod jam dudum vehementi prorsus amore eandem deperiisset: Itaque vel ab eadem se repulsam minime laturum existimans, vel forte cupiditatis vehementia excæcatus Elisabetham adit, mox-

bus tumultibus nil nisi nova consilia, vulgo Project, fabricare satagunt, quibus sensim de fidelium cordibus Religionem eliminant, ac Principum æraria exhauriunt.

moxque animi sui propositum eidem ^{Sæcul. XVI.} manifestat. Interea Protector rem ^{A.C. 1549.} edoctus haud obscure præsenferat, quod
 eius Fratre ad solium evecto, ipse omni
 potestate penitus exueretur, aut saltem
 ipsius auctoritate valde imminuta Pro-
 tectoris munus ad inane nomen redige-
 retur, hinc conceptis ejusmodi nuptiis
 se toto studio opponere statuit. Hanc
 in rem Senatam eo adegit, ut legem
 conderet, vi cujus perduellionis reus,
 ac omnibus suis bonis proscrip-
 tus de-
 clararetur, quicumque absque Protecto-
 ris, regique Senatus consensu ullam ex
 Eduardi Regis Sororibus ducere præ-
 sumeret. Cum ergo Archithalassus om-
 nes spes suas hac lege everfas cerne-
 ret, suumque fratrem totius infortunii
 sui Architectum nosset, improvido pror-
 fus consilio Regem surripere, atque
 Holdam ad arcem suam, villamque ab-
 ducere decrevit, hac vi a juvene Rege
 consensum extorsurus, vi cujus ipsomet
 præsentem Elisabetham ducere, fratrem-
 que suum Protectoris munere exuere,
 sibimetipsi vero supremam rerum sum-
 mam vindicare posset. Hoc itaque con-
 silium executurus collectis undique ar-
 mis decem peditum millia contraxit,
 ac diploma promulgavit, in quo acer-
 bius mala, quibus Regnum per Prote-
 ctoris violentias premitur, necnon ser-

Sæcul. XVI
A.C. 1549. vitutem, qua universi affliguntur, deplorat, simulque illum infimulat, quod tot exteras copias eo duntaxat ex fine alat, ut Tyrannidem suam adversus Angliæ Regnum impune exercere, illudque pro summo imperio usurpare posset.

§. CXVII.

*Architalassus captus, ac in Turrin
abductus.*

Hoc obtentu Procerum non paucos supremus hic Regiæ classis Præfectus ad sua pertraxit studia, præcipue cum nonnullis Senatoriam dignitatem, aliis vero publica munia sponderet. Equidem Protector fratrem suum de periculo, in quod se præcipitem ageret, frequentius admonuit, cum autem eundem in suo proposito obfirmatum, ejusque ambitionem nullo ultra remedio sanandam cerneret, mandatum edidit ab universo Senatu subscriptum, vi cuius Architalassus ad Londinensem Turrin captus abstraheretur: Altera igitur die eidem muneris sui sigilla tolluntur, eaque Nobili cuidam nomine Smith, qui a secretis Regi erat, traduntur, & postea querelæ, atque accusationum capita contra eum certatim proferuntur, illique præprimis exprobat, quod seditionem in regno concitare, Regemque